DE VOMITU CRUENTO.

DISSERTATIO
INAUGURALIS MEDICA
QUAM
CONSENSU ET AUCTORITATE
GRATIOSI MEDICORUM ORDINIS
IN
UNIVERSITATE LITERARIA
FRIDERICA GUILELMA
AD SUMMOS
IN MEDICINA ET CHIRURGIA HONORES
RITE SIBI CONCILIANDOS
DIE XXV. M. OCTOBRIS A. MDCCCXXXVI.
H. L. Q. S.
PUBLICE DEFENDET
AUCTOR

CAROLUS WIRTH
RHENANUS.

OPPONENTIBUS:
AL. AB ROESSLER, JUR. UTR. ET RER. CAM. CAND.
FR. DAHN, MED. ET CHIR. CAND.
FR. MUELLER, MED. ET CHIR. CAND.

BEROLINI,
TYPIS NIETACKIANIS.

PATRUO

OPTIMO, DILECTISSIMO

C. WIRTH,

MEDICO PRACTICO APUD ALLENBACENSES,

NEC NON

PARENTIBUS

AMATISSIMIS AD CINERES USQUE COLENDIS

HASCE

QUALESCUNQUE STUDIORUM PRIMITIAS

PIO GRATOQUE ANIMO

D. D. D.

AUCTOR.

DE VOMITU CRUENTO.

Vomitus cruentus, haematemesis (1), sanguinis significat profluvium e vasis ventriculi, oesophagi et intestini tenuis, aut viscerum hisce finitimorum, quo sanguis aut per vomitum, aut per alvi simul excretiones profunditur. Varia nomina jam inde ab *Hippocratis* temporibus cum vomitu cruento synonyma usurpata, ut haemorrhagia ventriculi, gastrorrhagia, oesophagorrhagia, morbus niger, melaena, fluxus spleniticus, varias sententias diversis temporibus de natura et indole hujus morbi pro-

---

(1) Lectorem, meliora quaerentem, praeter scripta postea excitata ad haec delego:

Burserius, institut. med. pract. Vol. III et IV.

Baldinger, selecta opuscula, in quib. Hippocr. explicatur. Goetting. 1782.

Fr. Hoffmann, medic. ration. system. Tom. IV.

S. Vogel, Handbuch zur Kenntniss und Heilung der Blutflüsse. Stendal 1800.

Pinel, von den Blutfluessen im Allgem., dem Blutbrechen und Blutspeien. Aus d. Franzoes. Lpzg. 1821.

Warburg, Dissertat. de haematemesi. Francof. ad Viadr. 1803.

positas denotant. Sanguinis profluvia organorum dictorum hic comprehendimus, cum haemorrhagia eorum, excepta haematemesi, quae subito apud homines antea sanos ex causa externa, mechanica exoritur, semper symptoma morbi gravioris organorum abdominalium sit, neque profluvia ventriculi cruenta bene discerni possint a profluviis tractus intestinorum ob maximam eorum inter se similitudinem.

DESCRIPTIO MORBI.

Raro vomitus cruentus sine prodromis apparet; saepe eum per plures annos, priusquam prorumpit, phaenomena istuc spectantia antecedunt. Longiores esse solent in haematemesi, quae morbis organicis viscerum abdominalium pedetentim conflatur; breviores apparent, antesignani, praesertim si vomitus cruentus metastasibus aliarum haemorrhagiarum excitatur. Prodromorum ratio haec est:

Primum varia appetitus et digestionis vitia manifestantur; mala animi affectio, tristitia, anxietas praecordialis; color faciei pallidus, subflavus, gravitas, pressio, tensio, spasmus ventriculi, ardor praecordiorum, nausea, magni languoris et debilitatis sensus, ad ipsa animi deliquia evectae; dolores spastici, pungentes, prementes in hypochondro sinistro et abdomine, aut in regione lumbali et in dorso. Alvus adest irregularis, ut plurimum obstructa; crebri ructus cum aquoso, acidulo, nonnunquam corrosivo, in os ascendenti humore, ibique uberiorem salivae affluxum excitanti, repentinam interdum, sed brevem modo levationem afferunt, et cum bulimia aut anorexia conjuncti esse solent. Quo propius hae-

morrhagia imminet, eo luculentiora et graviora symptomata congestionum sanguinis ad ventriculum apparent. Quare accedunt plenitudinis sensus, expansio, intumescentia in regione epigastrica; calor urens in ventris cavitate, pulsatio fortis ibidem; singultus, vomituritio, vomitus aquosus vel acidus; respiratio gemens, suspirans, dysphonia, palpitatio cordis; flatus inodori aut cum levatione aut sine ea, saepe cum doloribus auctis conjuncti; horripilationes, alterno aestu exceptae, languor ingens, inquies magna, pulsus parvus inanis, plerumque intermittens; sudores gelidi, tenaces, variaque symptomata nervosa, denique sapor sanguinis subdulcis, quem, vulgo in haemoptysi appropinquantis haemorrhagiae prodromum se manifestantem, saepe etiam in haematemesi adesse certum est. Interdum tamen vomitus cruentus necopinato et subito prorumpit, aut aegroti quidem affectiones in regione epigastrica non erant conquesti.

Postquam igitur prodromi modo descripti,aut nulli apparuerunt, cum vomitu et plerumque sine tussi haemorrhagia ipsa interdum levis, interdum plurium librarum quantitatem sanguinis efficiens(1), sequitur. Inter vomitum, quo sanguinis nonnunquam maxima copia cum summo vitae periculo et ad mortem usque effunditur, sudores frigidi, anxietas et praecordiorum intumescentia ad summum crescunt, facies pallida collabitur; accedunt obscuratio

---

(1) P. Frank, epitome de curand. homin. morb. Tom. V, pars II. pag. 189.

Henke, Handb. d. speciell. Patholog. Berlin 1800. Vol II. pag. 163.

Whytt, saemmtl. z. pract. Arzneikunde gehoer. Schriften. Aus d. Englisch. Lpzig. 1771. pag. 390.

visus, susurrus aurium, vertigo, syncopae, denique deliria blanda et spasmi, dum pulsus semper fit rarior, contractior et irregularior.

Sanguis vomitu cruento ejectus diversa est indole: plerumque fuscum, nigricantem, aut sordidum et multifariam mutatum colorem habet; saepe jam degeneratus, ater, piceus, putridus est, ut vix sanguinis indolem referat, aut odoris et saporis expers, aut odore foetido et sapore acido, amaro; modo fluidus modo coagulatus aut granosus est, nunc cum solidis aut liquidis ingestis, nunc cum bile, muco, acidisque mixtus. Singulis in casibus materiae haece antea jam vomuntur, quas deinde sanguinis vomitus purioris, rubicundi sequitur. Sanguis vomitu satis facili, repetito, haud celerrime se excipienti, et sine faucium strictu ejicitur. Mox etiam evacuatio sanguinis coagulati per anum sequitur, cum doloribus spasticis abdominis et affectionibus, quales a sordibus excitantur. Saepe eo, quod sanguinis effusi pars in intestina pervenit, ibique longius permanet, intumescentia abdominis mollis producitur cum meteorismo, borborygmo et ventris torminibus; quodsi major hujus materiae copia erat neque mox ea per alvi dejectiones removetur, periculosa febris asthenicae cum saburris complicatae symptomata manifestantur. Singulus quisque insultus, praesertim primus, anxietatem et ventris affectiones, scilicet dolorem in regione epigastrica et in hypochondrio sinistro, plenitudinem in scrobiculo cordis et pulsationem in eodem aliquantum levat; sed magnum aegroti conqueruntur languorem, quocum deinde animi habitus tristis et morosus, ut in aliis chronicis abdominis morbis consociatur.

D e c u r s u s e t e x i t u s. Decursus vomitus cruenti

modo continuus, modo remittens, modo acutissimus modo chronicus est. Raro uno impetu peragitur morbus, sed ubi semel apparuit, per intervalla aut longiora aut breviora revertitur, saepissime post cibos aut potus sumtos, aegro non convenientes. Plures insultus eodem die oriri, et sic per dies aliquot continuari possunt; interdum post plures dies demum fit repetitio eorum. Vix alia est haemorrhagia, quae tam facile et tam celeriter redit, quam haec, de qua loquimur. Itaque primo insultu peracto, mox sub caloris sensu interni febricula remittens cum exacerbationibus vespertinis aegrum corripit, denuoque haud raro nausea, oppressiones in regione epigastrica, inquies, anxietas, dolores pungentes in hypochondrio sinistro, et oscitationes apparent. Saepissime aegrotus sanguinem in ventriculo colligi sentit, cujus mox uberior copia majori cum impetu evomitur. Aliis in casibus, praesertim post menses et haemorrhoides suppressas, vomitus cruentus periodicus est, et solitum illorum profluviorum typum multo accuratius observat, quam aliae haemorrhagiae, aut certis tamen anni temporibus redit.

Saepe autem decursus longius extenditur, et accessiones, post plures menses demum reversae, etiamsi non facile vitae periculum afferant, tamen magnam functionum vitalium et reproductivarum relinquunt debilitatem. In aegroto ipso in intervallis nihil animadvertitur, nisi turbata aliquantum digestio, inflatum et praesertim in sinistro latere tumefactum abdomen, pulsus plenus, mollis, interdum irregularis. Ceterum si longius morbus durat, et saepius redit, hoc a magna totius organismi aut partium ejus singularum dispositione, a perpetuitate

aut repetita actione causae occasionalis vel aliae potentiae nocentis, quae similem exhibet effectum, inprimis autem a regimine aegroti perverso, sicut a protracto aut neglecto auxilio apto pendet.

Vomitus cruentus aut in sanitatem abit per vim naturae ipsam, aptamque curam, si contingit, ut sanguinis stagnationes resolvantur, haemorrhagiae suppressae, inprimis menstrua et haemorrhoides restituantur aliaeque causae submoveantur, aut, quod saepius fit, longius durando in morbos secundarios, qui mortem hydrope, tabe, cet. post se trahunt. Non saepe decursus vomitus cruenti repentine letalis est, aut primo insultu exinanitione, aut celerrima consumtione et debilitate mortem adducentis.

Morbus niger Hippocratis, quamvis re ipsa ab haematemesi non discernatur, atque hoc respectu ab ea non separandus sit, tamen multis rebus valde ab ea differt. Aegrotus macer, colore faciei languide flavo, subviridi fere et lurido (habitus luridus), habitu animi moroso et stomachoso, ad iram proclivi, jam ex longo tempore aliis morbis laboravit, praesertim variis digestionis molestiis, pressione ventriculi, nausea, vomitu acido. Plurimi prodromorum, qui vomitum cruentum vulgo antecedunt, etiam hic se manifestare solent, haud raro integris annis antequam morbus ipse prorumpit. Postquam aeger per dies aliquot maxime languidum et invalidum se esse sensit, atque alvo adstricta, flatibus, somnoque inquieto vexatus est, denique materia tenax, atra, picea, interdum etiam fusca aut subviridis in ventriculum et intestina effunditur, quae tum per vomitum et alvi excretiones ejicitur. Nonnunquam haec materia acris, caustica,

erodens est, et apud homines, quorum organa digestionis nimis debilitata sunt, acida, putrida, foetida. Evacuatio ejus cum maxima debilitate, oculorum obscuratione, syncopis profundis, sicuti tremore et spasmis vehementissimis, praeterea cum meteorismo, frigore extremitatum, sudoribus gelidis et pulsu parvo, molli, vix sensibili et irregulari conjuncta est. Post insultum, qui nunc per dies aliquot, saepius repetitus, nunc per singulas hebdomades perdurat, aegroti melius se habent, magnamque levationem sentiunt; digestio etiam melior reddita est. Plerumque autem morbus recurrit, et initio quidem post duos aut tres annos, deinde saepius uno anno, donec mors postremo debilitate, hydrope aut tabe adducatur.

DIAGNOSIS VOMITUS CRUENTI.

Ejectione sanguinis impuri, nigricantis, atri, aut degenerati, picei, nunc coagulati aut granosi, nunc purioris, rubicundi, liquidi, per os et oesophagum, quam sequitur sanguinis nigri, coagulati evacuatio per anum, symptomatibus deinde peculiaribus haematemesin et antecedentibus et comitantibus, sicuti causarum exploratione magnaque vomitum sequenti debilitate et languore, haemorrhagia ventriculi ab unaquaque alia haemorrhagia discerni potest, praesertim a sanguinis vomitu, qui a lactentibus fortuito, sugendo e mammis maternis (haematemesis spuria), aut ab adultis consulto (haematemesis simulata) deglutitus est. Non minus inquisitio materiae ejectae certiores nos reddet, num color ejus niger fortasse a substantiis subrubris aut nigris, e. g. a baccis Vacinii Myrtilli, Cerasis acidis, aut ab aliquo ferri

praeparato sumto originem traxerit. Ab haemorrhagiis oris, narium, inprimis pulmonum, si cum vomitu conjunctae sunt, difficillime haud raro diagnoscitur vomitus cruentus. Saepe enim in gravioribus organorum dictorum sanguinis profluviis simul tussis et vomitus irritatione consensuali excitantur. Analysis chemica materiarum suspectarum, a nonnullis proposita, qui sanguinem e ventriculo acidulum reagere affirmant, non satis certa est. Quamquam enim hoc saepe accidere potest, si succus gastricus aderat, qui autem non perpetuo secernitur, tamen in haemoptysi etiam ob vomitum cum ea conjunctum succus gastricus materiis ejectis admixtus esse potest. Signum igitur certissimum est affectio loci morbosi. Praeterea haec momenta respicienda sunt: sanguis e ventriculo effusus neque tam laete rubicundus, neque tam spumosus est, quam ille, qui ex pulmonibus cum tussi, doloribus pectoris et dyspnoea ejicitur. Haemoptysis utplurimum homines juniores, haematemesis adultos et aetate provectos infestat. Cum nulla alia haemorrhagia tam saepe syncopae conjunctae sunt, quam cum haematemesi, ipsisque jam phaenomenis eam antecedentibus; praeterea nulla alia tam facile repetitur, quam haec, de qua loquimur. Sedes cruentae, quae in decursu vomitus cruenti aut nullo vomitu antecedente, aut alternis succedunt, accuratiori sanguinis mixtione cum excrementis utplurimum dilutis, nodis deficientibus, nonnullisque aliis rebus facile a fluxu haemorrhoidali, sicut decursu chronico et symptomatum lenitate a dysenteria discernuntur.

Morbus niger *Hippocratis* ab haematemesi praesertim cachexia, quacum conjunctus est, majori symptomatum

vehementia et materiae ejectae natura discernitur, quae plerumque jam ab initio simul cum vomitu per alvi dejectiones evacuatur. Materiae in haematemesi ejectae indolem sauguineam obtinent, et interne semper subrubrae reperiuntur, etiamsi externe maxime mutatae sint aut per viam, quam ingressae sunt, aut aliis rebus. In melaena materia atra, picea, interdum fusca, corrupta, foetida evacuatur, quae externe eadem est forma ac natura, qua interne, et a sanguine coagulato valde diversa. Sed haematemesis ut plane disjungatur a melaena, fieri omnino non posse jam diximus, cum, etiamsi utraque momentis supra commemoratis satis distincta sit, illa tamen in eadem morbosa conditione, qua haec, scilicet in venositate aucta morbosa, et inprimis in plethora abdominali nitatur, plurima cum ea communia habeat, et saepe eam antecedat. Quo in casu fit, ut, si illa venositas aucta, vel sanguificatio abnormis, in veram cachexiam degeneravit, et vera melaena orta est, natura ad compensandum morbum summum quasi remedium subeat per piceae ac nigerrimae materiae vomitum.

Divisiones morbi. Recentiores demum *acutam* et *chronicam* vomitus cruenti formam distinxerunt, dum morbum nigrum *Hippocratis* formam esse chronicam haematemeseos complicatae demonstrare studebant. In formam acutam referunt illi omnem vomitum cruentum, qui celeriter mechanicam vel chemicam ventriculi laesionem sequitur, aut qui post menses haemorrhoidesque subito suppressas prorumpit. Praeterea distinguitur vomitus cruentus symptomaticus, qui symptoma alius morbi est, e. c. febris flavae, putridae, scorbuti, cet., et vomitus cruentus *criticus*, vomitus cruentus cum indole activa et

cum passiva, quorum ille in activa, hic in passiva congestione nititur. Magis a differentiis accidentalibus desumtae sunt divisiones, praeter has constitutae, scilicet in vomitum cruentum simplicem et *compositum*, *typicum* et *atypicum*, *vicarium* et *non vicarium*, *verum* et *spurium*.

SECTIO.

Sectiones cadaverum vomitu cruento exstinctorum satis confirmaverunt, semper, nisi forte haematemesis vulnerationem aut aliam laesionem mechanicam secuta sit, abnormitates ventriculi, hepatis, lienis, et ipsius pancreatis intestinorumque exstitisse, a quibus sanguinis circulationis impedimenta, ejusque accumulationem et stagnationem in systemate venae portae et in vasis ventriculi oriri oportebat. Eadem de causa vomitus cruentus saepe etiam symptomaticus in splenitide et hepatitide observatus est, neque dubium est, quin vomitus cruentus in febri flava item ab hepatitide semper cum ea conjuncta originem trahat. Reperta in cadaveribus haematemesi exstinctorum in universum haec sunt (1):

1. Vasa abdominis quoad expansionem multifariam mutata conspiciuntur: arteria ventriculi coronaria sinistra adeo extensa, ut amplitudine reliquos arteriae coeliacae ramos superet, arteriam scilicet hepaticam et lienalem.

2. Vasa brevia ad digiti crassitudinem amplificata, nec minus venae mesentericae et mesocolicae ad intestini tenuis diametrum expansae, varicibus magnis obsessae, et atro sanguine completae. Ipsae venae haemorrhoida-

---

(1) P. Frank, op. cit. pap. 209. — Portal, Sammlung auserlesener Abhandlungen für praktische Aerzte, Vol. VIII. pag. 148. — Morgagni, de sedibus et causis morbor. Tom. II. pag. 109.

les interdum expansae, varicosae, et sanguine illo completae repertae sunt.

3. Mirus sanguinis defectus in vena cava inferiori et vena portae, praesertim in majoribus venae portae truncis.

4. Ventriculus majori aut minori copia atri sanguinis refertus, quandoque callosus, tunica ejus intima colore atro-rubicundo, aut nigro esse solet, nigris maculis interdum notata, quae compressae materiam illam atram effundunt.

5. Intestina expansa, materiis saepe atris, piceis, tenaciter adhaerentibus impleta deprehenduntur, tunica duodeni interna item maculis nigris interdum obsita.

6. Hepatis et lienis degenerationes, contrariam plerumque offerentium rationem: aut lien parvus et durus, hepar magnum et tumefactum apparet, aut vice versa hepar parvum, lien magnus, sed mollis et marcidus quasi. Hic tamen saepius non nimis magnus est, concrementis corneis obsessus, externe subinde cartilaginosus et tam durus, ut vix cultro possit dissecari; hepatis perampli, lipomatibus obsiti parenchyma album et degeneratum, aut pallidum, cinereum, tuberculis ulceratis refertum reperitur.

7. Raro ventriculus inflammatus conspicitur, idemque in intestinis observatur. *Morgagni* in cadavere vomitu cruento mortui omnia intestina inflammata conspexit, et in alio casu intestina tenuia inflammata et gangraenosa (1).

---

(1) Morgagni, epistol. XXIX, Sect. X.

8. In ventris cavitate saepe larga copia seri flavi reperitur.

9. Denique ulcerationes et laesiones ventriculi viscerumque finitimorum, prout causae externae vel mechanicae vim suam exseruerunt.

AETIOLOGIA.

De indole vomitus cruenti inde ab antiquissimis temporibus diversissimae viguerunt sententiae. *Hippocrates* (1) multique medicorum antiquorum, auctoritatem ejus secuti, morbi nigri sedem in hepate posuerunt, materiasque vomitu ejectas pro bile inspissata habuerunt. Plures seriorum saeculorum a lienis aegritudine morbum deduxerunt, ita ut sanguinem per vasa brevia evacuari putaverint (2); alii causam in hepatis morbis, praesertim in obstructionibus ejus, collocaverunt. Eatenus tam hi quam illi recte judicaverunt, quatenus omnia, quae sanguinis circuitum per viscera nominata impediunt aut praegravant, affluxum ejus uberiorem ad vasa ventriculi, congestiones ergo et effusiones in ventriculi cavitatem excitare valent.

Indolem arteriosam vomitus cruenti praecipue *Portal* (3) et *Reil* (4) defendunt, qui in hepate et liene morbum adesse contendunt, quo fiat, ut sanguis arteriae coeliacae non recipiatur in organon morbosum, sed

---

(1) Hippocrates, περὶ νόσων, lib. II. Sect. V. Cap. XXIX.

(2) W. Grant, Beobachtungen ueber die Natur und Heilung der Fieber. Aus dem Englischen. Lpzg. 1775. p. 422. seq.

(3) Op. c. pag. 22.

(4) Reil, Fieberlehre. Vol. III. pag. 157.

in arterias coronarias ventriculi vehementius irrumpat, et per has in ventriculum ipsum.

Naturam vomitus cruenti venosam esse contendit *Stuckeley* (1), qui evenire dicit in hoc morbo, ut vena lienalis sanguinem cum vena coronaria ventriculi majori et vena gastroëpiploica sinistra communicet, unde effundatur in ventriculum; imo sanguinem, ait, ex ipsa vena portae in venam coronariam ventriculi minorem, ex gastroëpiploica sinistra in gastroëpiploicam dextram pervenire posse, et vice versa.

Sprengel (2) culpandam esse censet tarditatem, quo circuitus sanguinis fiat per venam portae et lienalem, nec non eximiam san uinis, hydrogenio et carbogenio abundantis, quantitatem in liene.

P. Frank (3) morbum esse systematis venosi dicit. Sanguinem e ventriculi et intestinorum vasis, aut diversis causis stimulatis, aut a visceris vicini, obstructi cruore inundatis, aut locali debilitate affectis, non raro cruentae secretionis processu, quin vasorum aut ruptura aut erosio praegressa sit, effundi affirmat.

Haase (4) tum praecipue vomitus cruenti indolem arteriosam esse dicit, cum morbus subito, sine prodromis, affectionem graviorem organorum abdominalium supra dictorum designantibus irruat, cum symptomata exhibeat splenitidis, hepatitidis et metastaticarum sanguinis congestionum haemorrhoidalium et menstrualium; veno-

---

(1) Cf. Sprengel, Handbuch der Pathologie. Vol. III. p. 22.

(2) Op. c. pag. 22 et 23.

(3) Op. c. pag. 209 et 210.

(4) Haase, Erkenntniss und Kur der chron. Krankheiten. Vol. I. pag. 394.

sam esse, cum morbus, jamdudum statu anomalo viscerum abdominalium, inprimis hepatis et lienis, praegresso, cum phaenomenis tali conditioni consentaneis appareat. Initium ita fieri, ut stagnationibus, indurationibus, scirrhis organorum illorum partim venae contundantur, eoque modo expansiones efficiantur, partim sanguinis circuitus normalis per viscera abdominalia cohibeatur, sanguinis venae portarum introitus disturbetur, factaque oppletione trunci venae portae, obstructiones, varices, rupturae, haemorrhagiae venosae exoriantur.

Dum recentioribus temporibus plerique haematemesin et morbum nigrum pro acuta et chronica ejusdem mali forma habebant (1), *Marcus* (2) demonstrare studebat, eum morbum, qui melaenae nomen gereret, in casibus longe plurimis non formam morbi chronici propriam, sed splenitidem chronicam sistere, ad cujus pathognomica signa vomitus cruentus pertineret (haematemesis splenitica). Quamquam hoc quidem minime verum se praebuit, tamen praeter jus quisque connexus inter vomitum cruentum et morbos lienis negatur, quos saepe cum illo cohaerere experientia docuit. Sed hepar etiam, ejusque in sanguificatione vis ante omnia respicienda est, neque vasorum sanguiferorum ventriculi et intestini tenuis status morbosus praetermittendus. Arteria hepatica, lienalis, et coronaria ventriculi sinistra ex trunco arteriae coeliacae oriuntur, dum tota sanguinis copia,

---

(1) Cf. Spangenberg, über die Blutflüsse in medicin. Hinsicht. 1805. pag. 391.

(2) Entwurf einer spec. Therapie. Nrnbrg. 1810. Vol. II. pag. 361.

non solum quam illorum organorum vasa venosa, sed magna etiam ejus pars, quem venae intestinales gerunt, per venam portae in hepar pervenit. Itaque si circulatio in vasis venosis hepatis et lienis est impedita, major sanguinis copia in ventriculi et intestinorum venis colligatur necesse est, et quo minor ejus copia in lienem atque degeneratum et obstructum hepar per arteriam lienalem et hepaticam duci potest, eo major ad ventriculum pervenire debet. Nimia autem expletio vasorum ventriculi, hepatis, lienis et mesenterii cum sanguine, cujus circulatio adeo est cohibita, ut temporis spatio paulatim ater et piceus quasi, denique acer atque corruptus fieri possit, vasa illa semper laxiora, molliora et dissolutiora reddit, ut postremo sanguinem aut per ipsos parietes transmittant, aut ex levissima causa disrumpantur, itaque quod continent, in tractum intestinorum effundant.

Causa proxima.

Causa igitur proxima vomitus cruenti sanguinis est profusio e vasis in ventriculum aut intestinum tenue; sanguis vero aut ex ipsius ventriculi et mesenterii, aut ex hepatis, lienis et pancreatis vasis venire potest. Ex hepate etiam sanguis per extremos venae portae ramos dilatatos et laxos aut erosos in ductum hepaticum et choledochum, indeque per duodenum in ventriculum pervenire potest. Varii modi, quibus illa sanguinis e vasis profusio fieri potest, hi sunt:

1. *Diapedesis,* exudatio quasi, excretio morbosa sanguinis, qui sensim et inobservabili modo per vasorum parietes permanat, absque laesione vasorum. Qua in re vasorum capillarium mutatio ejusmodi fiat necesse

est, ut sanguinis globulos transmittant, quod ceteroquin non faciunt, uno verbo, vasa illa laxa, amplificata et dissoluta esse debent. Morbosam ejusmodi sanguinis excretionem aut nimio ejus impetu, aut obstructione organorum finitimorum, eamque ob rem impedita circulatione, nulla vasorum laesione, erosione aut ruptura antecedente, saepius oriri, sectiones satis confirmaverunt, sicuti menstruatio, in qua idem fit, exemplum tale praebet.

2. ***Diaeresis* s. *Rexis*,** laesio, diruptio vasorum ex causis internis aut externis, vulnerationem per vim mechanicam consequens, quo fit, ut sanguis ex vasis vulneratis aut continuitate sublata laesis effluat.

3. *Diabrosis*, erosio vasorum, si pars aliqua cum vasis suis sanguiferis suppuratione, ulceratione aut corrodentiis exstinguitur, ut sanguis deinde ex aperto vase effundatur. — Quodsi sanguinis profluvium ex diaeresi aut diabrosi exoritur, profluvium a laesione vasorum nominatur.

Causae praedisponentes.

1. Aetas et sexus. Vomitus cruentus, junioribus et senioribus cum paucis exceptionibus parcens, plerumque aetatem mediam inter tricesimum et quinquagesimum vitae annum infestat. Sexui sequiori saepius occurrit, quam potiori, cujus fortasse causa in mensium perturbatione posita sit.

2. Vitae consuetudo. Ad morbum praedisponunt mala vitae ratio, abusus ciborum digestu difficilium et inflantium, atque alimentorum nimis copiosorum et pinguium, aut nimio aromate, sale vel principio acri onustorum; abusus potuum calidorum et relaxantium, aut

spirituosorum et nimis excitantium; stomachicorum calefacientium, emmenagogorum venerisque abusus; vita sedentaria cum presso abdomine; motus animi deprimentes, sollicitudo, moeror, curae, cet.

3. Morbi praesentes aut praegressi. Huc pertinent arthritis atonica, febres intermittentes diu durantes aut neglectae, quibus superstites sunt viscerum obstructiones (placentae sic dictae febriles); mensium haemorrhoidumque anomalarum congestiones ad ventriculum, quare saepe etiam cessatio menstruorum; porro bilis acris secretio, sanguis morbosus et dissolutus, unde cachexiae, scorbutus, morbus haemorrhagicus, hydrargyrosis, hydropes. In febribus nervosis, asthenicis, variolis malignis cet., interdum a contagiis aut debilitate universali morbum oriri *P. Frank* affirmat (1). Inprimis autem vitia organica hepatis, lienis et ventriculi, indurationes et intumescentiae organorum dictorum ad morbum disponunt, denique omnia momenta, quae sanguinis liberam in abdomine circulationem retardant aut impediunt. Itaque interdum ex graviditate, praesertim primis mensibus, ex hysteria, hypochondria, variisque morbis spasmodicis, quia circulationem in abdomine a justo deflectere possunt, vomitus cruentus exoritur. Frequentissima autem ejus causa est plethora abdominalis. Quae cum a laxo, inerti et torpido vasorum sanguiferorum abdominis, inprimis venarum statu, cum sanguinis circulatione impedita, pendeat, sanguine hoc in circuitu cohibito stagnationes et obstructiones (infarctus sic dicti sanguinei, synonymi forsan cum plethora abdominali)

---

(1) Op. c. pag. 210.

procreentur necesse est. Dum infarctibus illis sanguineis in hepate, liene et intestinis sanguinis regressus per vasa obstructa retardatus aut omnino sublatus est, obstructiones etiam et dilatationes venarum ventriculi oriri oportet, quo fit, ut laxi, dilatati et expansi vasorum parietes tandem disrumpantur, aut sanguinem sensim permanare patiantur, qui tum per vomitum cruentum ejicitur.

4. Temperamentum melancholicum et cholericum, inprimis hoc, quod, cum a permagna et eminenti organorum digestionis vi pendeat, potissimum ad abdominis morbos, et omnium maxime ad congestiones et obstructiones ejus proclive esse solet.

5. Constitutio venosa s. atrabilarivenosa. Cum a diversis auctoribus descripta symptomata venositatis auctae et morbi atrabilarii, cujus auctoritatem, quamvis ipse in dubium vocatus fuerit, novissimis temporibus viri praestantissimi (1) restituerunt, eadem sint, dubitari non potest, quin idem sit status morbosus, quem diversis nominibus significaverunt. Venositas illa aucta, — cujus naturam et fundamentum *Pouchelt* (2) in abnormi quadam aucta et eminenti venosa indole systematis venarum, plus minusve in totum vasorum systema extensa, posuit; alii (3) in absoluta vel relativa imminutione aut retentione earum materiarum, quae ex sanguine venoso secernantur et

---

(1) Vide S. Vogel, in: Berliner med. chirurg. Encyclop. Vol. III. pag. 653. seq. — G. F. Most, Encyclop. Vol. II. pag. 634.

(2) Pouchelt, das Venensystem in seinen krankhaften Verhältn. Lpzg. 1818.

(3) Cf. Sundelin, Patholog. und Therapie d. Krankh. mit materiell. Grundlage. Berlin 1827. Vol. I. pag. 64.

excernantur necesse est, ne venosa indoles praevalens fiat; — illa venositas nihil aliud nisi abnormem et ex qualitate et ex quantitate significat sanguificationem. Nam cum sanguificatio a qualitate et quantitate chyli, et a secretionibus, quibus sanguis in pulmonibus, et ab iis, quibus in hepate et fortasse in liene subjectus est, dependeat, maximum momentum sanguificationi, actioni venosae tribuendum est in totum organismum, qua ex causa, si illa abnormis evadit, tum etiam venositatem esse auctam concludi posse videtur. Quamquam negari non potest, systema venosum sicut arteriosum, morbis peculiaris indolis laborare posse, tantum tamen abest, ut tam diversa sint haec duo systemata, ut in multis morbis in connexione non sint: ut sine mutua conjunctione nunquam esse possint. Si igitur scimus, systema venarum sanguificationi praeesse et maxime eam venae portae in systemate procedere, si hepar praecipue organon venosum esse constat, negari non potest, carboneum, e sanguine venoso excernendum, propter atrabilarivenosam dispositionem, nec in ortu depressam nec in processu compensatam aliis conditionibus, in sanguine conferri, eaque de causa veram dyscrasiam per nimiam carbonei copiam produci. Sanguinem ejusmodi anomalum non irritantem modo, sed deprimentem etiam et narcoticam vim, vaporis carbonum instar, in universum systema nervosum exercere, qua varia venositatis auctae phaenomena provocantur, haud difficile est intellectu. Hic sanguis, carboneo completus, antequam in hepar pervenit, in amplis ramis et truncis venae portae congeritur, ibique permanet, donec natura aut ars afferat adjumentum. Quare dubium non esse videtur, sanguinem

illum vomitu ejectum, venosum esse, et in constitutione venosa summam morbi nigri causam esse ponendam.

Causae occasionales.

In numero causarum occasionalium, quae aut solae, sine causarum praedisponentium auxilio, aut nonnisi cum his conjunctae vomitum cruentum provocare possunt, hae referendae sunt:

Laesiones regionis epigastricae et hypochondriacae sinistrae, contusiones, ictus, casus vehementes in eandem; vulnera penetrantia ventriculi, intestini, lienis, hepatis; pressus ventriculi (ex quo haematemesis neonatorum oritur) et nimia ejus expletio; indigestio, permagni ad partum labores, purgantia, drastica, emetica aut fortiora aut intempestive data; inflammatio et ulcerationes ventriculi, hepatis, lienis et intestinorum. Praeterea vermes intestinales, ventriculo insidentes; hirudines, insecta, clavi, spinae piscium, assulae ossium, vitrum, aliaque corpora acuta, deglutita. Substantiae acres, corrosivae, ut hydrargyrum muriaticum corrosivum, arsenicum, kali causticum, acida mineralia concentrata cet., aut statim, aut post escharam, quae formata erat, solutam, sanguinis profluvium ex ore, ventriculo et intestinis efficiunt. Ruptura aneurysmatis aortae abdominalis, arteriae coeliacae, aut arteriarum mesentericarum, si cum ventriculi aut intestinorum membranis conjunctum erat, periculosissimam semper haematemesin, sanguine simul in ventris cavitatem effuso, adduxit. Denique huc pertinent pedum refrigeratio, potus frigidi, corpore fervescente sumti, sicut frigus intensum, aestum ingentem secutum, quippe quo vasa sanguifera corporis expansa

subito constringantur; percussiones et nimiae corporis contentiones, commotiones animi graviores, ut ira, moeror cet.; morborum exanthematicorum repercussio, et quae saepissima causa est, haemorrhagiarum suetarum suppressio, praesertim haemorrhoidum et mensium. Quare etiam puellae tempore pubertatis, ubi menses primo exspectantur, et illae, quibus menses subito desinunt, haematemesi expositae sunt.

PROGNOSIS.

Prognosis maximam partem causarum dignitatem observet necesse est, cum respectu ipsarum, tum haematemeseos ab iis pendentis; quare phaenomena cum malo conjuncta morbosa et momenta causalia jam periculi magnitudinem indicant. Praedictio igitur in universum saepius est infausta auguranda, quam bona. Quodsi etiam mittamus, plurimis in casibus causas remotas adesse pergraves et sublatu difficillimas, morbus tamen praeter gastritidis et exinanitionis periculum, interdum ipsam ventriculi et lienis indurationem efficit. Minime autem prognosis semper est mala. Interdum vomitus cruentus sine magno detrimento per longum tempus sustinetur, atque adeo nonnullos morbos, a quibus pendet, ut cardialgiam, hypochondriam, hysteriam, febres intermittentes, intumescentiam lienis chronicam, cet., ad sanitatem perducere potest (haematemesis critica). Inprimis vomitus cruentus a locali ventriculi morbo ortus diligenter distinguendus est ab illo, qui cum universali corporis affectione morbosa conjunctus est. Si ex causis internis, aut difficile aut omnino non removendis originem duxit, prognosis plerumque mala est; melior, ubi haema-

temesis haemorrhagia constitutionalis, aut ubi mensium vel haemorrhoidum suppressarum vicibus fungitur, quia sublatis causis sanguinis excretionem naturalem impedientibus, profluvia per hanc viam normalem facile restituuntur. Generatim etiam in genere feminino minoris momenti est vomitus cruentus, quam in masculino; nam cum in hoc rarius appareat, graviores etiam, et remotu difficiliores causas habere solet. Morbus eo periculosior fit, quo magis in formam sic dictam chronicam seu morbum nigrum, cujus semper mala est prognosis, vertitur, — quod praecipue accidit, sanatione gravioribus causis impedita, aut si aegrotus, regimine spreto, omnes potentias nocentes non satis caute evitaverit — quo verisimilius est, haematemesin a causis insanabilibus pendere, quo magis exhaurit haemorrhagia ac debilitat, et quo magis characterem passivum recepit. Infausta est igitur prognosis, si haematemesis a laesionibus regionis epigastricae, aut a vitiis organicis hepatis, lienis, ventriculi, pancreatis orta est, et inprimis haec, quae cum praecordiis duris, syncopis, deliriis et aphonia est conjuncta.

Raro mors repentinus metuendus est; saepius paulatim consumtione et debilitate adducitur, aut eo, quod morbus in tabem et hydropes transit. Si malum longius duraverit neque contigerit, ut causae, a quibus dependet, amoveantur, cum multo majori assiduitate ac pervicacia, quam aliae haemorrhagiae perdurabit, quippe cui organa jam assuefacta sint, etiamsi postea propositum illud assecuti simus. Ubi febris accessit, majus periculum est, nisi symptomata febrilia simul cum sanguinis profluvio cedant. Longiori sanguinis in tractu

intestinorum commoratione multo pejores eventus provocantur, quam sola sanguinis jactura post se traxisset. Si oppressio, dolor in regione epigastrica, nausea et frigus extremitatum post haemorrhagiam peractam non cedunt, recens et vehementior impetus brevi imminet.

THERAPIA.

Superest, ut de therapia pauca adjiciam. — Cum vomitus cruentus plerumque symptomaticus aliique morbi primarii effectus sit, remedia sicut medendi rationem varias illius morbi primarii modificationes respicere oportet. Diversa autem momenta causalia diversissimas saepe curationis methodos poscunt; quare hic generaliter modo praecepta ejus primaria proferre licet.

In curanda haematemesi indicationes generales, quibus satis faciendum est, hae sunt:

1. Causae remotae tollendae aut saltem minuendae sunt.

2. Haemorrhagia ipsa moderanda et caute coërcenda est.

3. Convalescentia rite gubernanda, morbi secundarii si qui exorti sunt, tollendi, ipsiusque morbi reditus evitandus est.

Primae indicationi, quamvis maximi momenti sit, raro satisfacere licet, si jam exstat vomitus cruentus. Plerumque igitur causarum expugnatio in convalescentiam differenda erit. Raro etiam contingit, ut, si haematemeseos causae jam antea observatae sint, simulque prodromi commemorati apparuerint, deficiente alia causa haemorrhagia imminens provideri, aptisque remediis possit averti. Optimum igitur est, curam radicalem ita sus-

cipi, ut quaque causa vomendi diligenter evitata, tamen vomitus ipse non impediatur, causae remotae deinde tollantur et morbus remediis derivantiis a ventriculo amoveatur, denique digestio caute roboretur et primae viae expurgentur, qua in re non minus a stomachicis calidis quam ab emeticis cavendum est.

Quod ad *primam indicationem* pertinet, haec respicienda sunt:

1. Dispositio. Sanguinis stagnationes, viscerum intumescentia, indurationes cet., solvantur. Remedia hic apta sunt extracta amara numerosa, ut extractum taraxaci, saponariae, graminis, cet.; salia neutra, ut kali tartar., tartarus natronatus et alia. Humorum stagnationibus in hepate respondent chelidonium, cicuta, digitalis purpurea, antimonialia et mercurialia, tam interne quam externe in unguentorum et emplastrorum formam redacta; sub finem curationis, obstructionibus remediis dictis sublatis, martialia.

2. Suppressae haemorrhagiae, ut menstrua, haemorrhoides restituantur, vitatis omnibus acribus, aethereis, pellentibus sic dictis. Magnam hic utilitatem afferunt venaesectiones, quoties congestionum sanguinis ad ventriculum signa apparent, inprimis autem hirudines ano aut genitalibus applicatae, pediluvia tepida, vapores calidi, enemata emollientia, observato regimine antiphlogistico. Quodsi momenta causalia statum torpidum magis et asthenicum, eoque haemorrhagiae consuetae suppressionem effecerant, remedia leniter excitantia, ut acidum *Halleri*, infusum chinae in emulsione cet., nisi ventriculus usum eorum interdicat, adhibenda sunt; cavendum tamen, ne effectus detrimentosi iis provocentur.

3. Investigetur, num pendeat haematemesis a causis localibus. Hirudines devoratae interficiuntur largiori potu solutionis natri muriatici; substantiae acres, causticae, sicuti venena antidotis aptis innoxia reddenda, ulcera, scirrhi et carcinomata ventriculi artis lege curanda sunt; haematemesis, quae ex permagnis ad partum laboribns oritur, festinato partu artificiali tollenda.

4. Si vomitus cruentus symptomata exhibet status putridi, scorbutici, cet., curatio his morbis adaptanda est.

Quoad *secundum indicationem* moderate coërcendus et leniendus, minime autem, nisi nimia sit haemorrhagia, celeriter aut extemplo inhibendus est vomitus cruentus, ne splenitis, icterus, hypochondria, hydropes, tumores in abdomine, cet., procreentur. Quodsi haematemesis indolem activam, inflammatoriam exhibet, venaesectiones sive locales sive universales, sicut enemata aperientia salutaria erunt; interne potus aciduli refrigerantes. Ad deprimendam morbosam irritabilitatem, nec non vomendi incitamentum demulcendum, extractum hyoscyami, aqua laurocerasi, tinctura digitalis purpureae prosunt; si opio utimur, enematibus aperientibus alvum solvamus necesse est. Si ructus et vomitio materiarum acidarum, causticarum locum habent, potio Riveri vel cum vel sine opio, fomenta aromatica, vinosa, cet., adhiberi possunt.

Sin haematemesis cum tanta vehementia procedat, ut sanguinis jactura et exinanitione vitae periculum minetur, celerrime inhibenda est. Hoc consilio aegrotus capiat glaciem, aut hauriat aquam cum aceto, serum lactis aluminatum, aut guttas nonnullas aetheris sulphurici cum tinctura opii; quibus omnibus majori cum effe-

ctu methodus derivans adjungitur, sinapismis, cucurbitis incruentis, aut fomentis ex glacie et nivibus in regionem epigastricam impositis, sicut aethere instillando in eundem locum. Praesertim aegrotum summae quieti indulgere, neque cubile relinquere oportet. Animi deliquiis quam minime committatur; ubi vero syncope exorta est, remedia irritantia fortiora vitanda sunt, ne haemorrhagia iis de integro excitetur. Praeterea respiciatur, ne sanguis eructatus in ore coagulet atque accumuletur, eoque modo suffocationis periculum moveat (1).

Inter insultum medicamenta, si indicata sunt, aegrotis tantum liquida praebenda, guttatim quidem, si licet, nec ultra cochlear minus singulis vicibus. Aeger abstineat a potu aut potulenta modo acidula, refrigerantia hauriat; nutrimenta solida vitanda sunt, cubile frigidiusculum sit et summa quies concilietur corpori.

Post insultum regimen generaliter idem esse oportet, quod inter insultum. Si ventriculus sustinet, jusculum carnis cum vitello ovorum praebeatur, aut potus aciduli, serum lactis acidum, lac ebutyratum. Canalis intestinalis, inprimis si alvi obstructio exstat, clysmis ex aceto et aqua aut oxymelli paratis, sanguine coagulato liberetur, cautissime tamen evitatis laxantiis fortioribus, ne ventriculus iis irritetur. Nisi virium prostratione vetentur, etiam laxantia acidula leniora, ut pulpa tamarindorum, tartarus depuratus et alia ejusmodi adhiberi possunt, donec alvi depositiones nonnullae sequantur, et excrementa colorem naturalem ostendant.

Tertia indicatio, quae ad leniendam aut removendam funestam morbi reactionem, et ad prohibendum ejus reditum spectat, itidem varia momenta causalia, quae malum procreaverunt, respiciat recesse est.

Debilitas ingens, haematemesi superstes, singulari attentione digna est, quippe quae causam constituere possit hydropis aliorumque malorum. Quare cura apotherapeutica saepe usum extractorum amarorum, elix. vitriol. Mynsichti, chinae, calami aromat., cascarillae, aliorumque remediorum roborantium postulat. Qua in re plurimum cautelae et providentiae impendendum est diaetae. Victus levis sit et nutriens; potus relaxantes, debilitantes et calefacientes, sicut omnia alimenta solida, initio saltem, arceantur. Quantitas eorum parca, sed iteratis vicibus sumatur, ipsisque cibis succi citri aliquan-

(1) P. Frank, op. c. pag. 219.

tulum adjicere licet. Ab omnibus momentis denique, qua indigestionem, sordes gastricas, morbos biliarios adducere possunt, et inprimis a pedum refrigeratione diligentissime cavendum est. Maxima corporis quies animique securitas nunquam ab aegroti regimine absit; serius demum exercitatio modica est concedenda, eamque passivam magis quam activam esse oportet.

V I T A.

Natus sum ego ***Henricus Carolus Augustus Wirth*** in vico provinciae Rhenanae, inter Navam et Mosellam sito, cui nomen est Solis Bacum, anno hujus saeculi duodecimo, patre ***Philippo***, medico practico, quem in vivis esse maxime gaudeo, matre ***Elisabetha***, e gente ***Stumm***, quam dilectissimam septem ab hinc annis morte mihi ereptam valde lugeo. Confessioni evangelicae addictus sum.

Primis litterarum rudimentis domi imbutus, duodecimo aetatis anno progymnasium Kirnense adii, et inde post duos annos Gymnasium Crucenacense, ubi per annos quatuor et dimidium litteris humanioribus operam navavi. Maturitatis testimonio instructus a. MDCCCXXXI. universitatem Friederic. Guilelm. Rhenanam petii, ibique a Beat. ***de Droste-Huelshoff***, t. t. Rectore magnifico, civium academicorum numero adscriptus, apud Ill. ***Harless***, t. t. ordinis medicorum Decanum quam maxime spectabilem nomen professus sum. Bonnae per annos tres his interfui praelectionibus:

Ill. ***van Calker*** de logice et psychologia; Ill. ***Trevirani*** de botanice tam generali quam speciali; Ill. ***Goldfuss*** de zoologia et zootomia; Ill. ***Noeggerath*** de mineralogia; Ill. ***G. Bischoff*** de chemia experimentali; Beat. ***a Muenchow*** de physice experimentali; Ill. ***Mueller*** de encyclopaedia et methodologia medica, de physiologia, nec non de pathologia generali et semiotice; Ill. ***Weber*** de osteologia, de cadaveribus obducendis, et de anatomia comparata; Ill. ***Mayer*** et ***Weber*** de anatomia tam generali quam speciali, qui etiam duces mihi fuere in cadaveribus dissecandis; Ill. ***Nees ab Esenbeck*** de botanice pharmaceutica; Ill. ***Wutzer*** de pathologia et

therapia morborum chirurgicorum, de ophthalmologia, de operationibus chirurgicis et de fasciis rite applicandis; Ill. *Albers* de pathologia speciali, et de morborum syphiliticorum pathologia et therapia; Ill. *Bischoff* de formulis medicis rite praescribendis; Ill. *Nasse* de therapia et generali et speciali. Clinicum et policlinicum chirurgicnm et ophthalmiatricum duce Ill. *Wutzer* per dimidium annum frequentavi.

Autumno anni MDCCCXXXIV. Berolinum petii, ubi ab Ill. *Steffens*, t. t. Rectore magnifico, in civium academicorum numerum receptus, et ab Ill. *Busch*, t. t. Decano quam maxime spectabili, medicinae studiosorum ordini adscriptus, hucusque hasce praelectiones frequentavi:

Demonstrationes anatomicas Ill. *Mueller*; clinicum medicum Ill. *Bartels* et Cel. *Wolff;* clinicum chirurgicum Ill. *Rust* et Cel. *Dieffenbach*; clinicum ophthalmiatricum Ill. *Juengken;* clinicum medico-chirurgicum Cel. *Truestedt.*

Praeterea per annum integrum, ut legi publicae satisfacerem, duce Dr. *Bieske*, chirurgi militaris voluntarii munere functus sum in chiliade equitum loricatorum praetoria.

Quibus omnibus praeceptoribus, optime de me meritis, gratias habeo, semperque habebo, quas possum maximas.

Jam vero tentaminibus et philosophico et medico, atque examine rigoroso coram gratiosa facultate medica superatis, spero, fore ut, dissertatione thesibusque defensis, summi in medicina et chirurgia honores in me conferantur.

THESES.

1. **In curandis ulceribus ad dyscrasiam maxime respiciendum est.**
2. **Partus praematurus sectioni caesareae et perforationi foetus est praeferendus.**
3. **Inflammatio non est aucta vis vitalis.**
4. **Venae non resorbent.**
5. **Placenta foetus organon respiratorium est.**